

Filius esse dicitur: Sic Spiritus sanctus ab ea persona procedit, cuius Spiritus esse dicitur,

At Spiritus sanctus passim non tam Patris, quam Filij Spiritus esse dicitur, ut Rom. 8. 9. Gal. 4. 6.

Ergò non tam à Patre quam à Filio Spiritus sanctus procedat, necessum est.

53. *Connexum majoris patet inde: Relationes enim illæ Personarum, non considerantur ex donationis alicuius gratia: Siquidem intra Deitatis societate longè absolutissimam talis gratuita donatio locum non habet. Relinquitur ergò, Si Spiritus sanctus non per gratiam, Filij est Spiritus, utique esse per naturam: atque sic propter illam hypostaticam processionem à Filio æternam.*

54. II. *Qui habet jus mittendi Spiritum sanctum in tempore, ab eodem procedat etiam is, necessum est.*

Atqui Filius habet jus mittendi Spiritum sanctum. Ioh. 15, 26. Ergò ab eodem procedat etiam necessum est.

55. *Maior patet inde: Etiam si missio temporalis cum processione non est quiddam τὸ αὐτὸ ἓν: Ius tamen illud non aliundè Filio competit, quam ex Relatione illâ personali, quâ Filius cum Patre eundem Spiritum Coessentialem spirat.*

56. *Nam quemadmodum hanc ob causam Pater à nemine mittitur, quia à nullo est: Filius verò à solo Patre mittitur: (licet decretum de*
mit.